




THE NEWBERRY LIBRARY · CHICAGO

O Dupl

RESPONSIO AD ORATIONEM HABITAM NVPER IN CONCILIO HELVETIORUM, pro defensione cædium & latrociniorum, quæ in Gallia commissa sunt: editam & promulgatam Germanicè.


AVCTORE VVOLFGANGO Prisbachio Cracouiensi.



RVPELLAE. 1573.

3.

RESPONSIO AD ORATIONEM habitam nuper in concilio Heluetiorum pro defensione cædium & latrociniorum, quæ in Gallia commissa sunt: editam & promulgatam Germanicè.



SVPERIore proximo mense Augusto, circiter triginta hominum millia in Regno Galliæ paucorum dierum spacio trucidata sunt: non in prælio, sed in summa quiete & otio: non armati & pugnantes: sed partim nudi atque in lectulis dormientes: partim supplices ac misericordiam trucidantium implorantes: non vnum in locum coacti, sed suis quique in ciuitatibus ac domiciliis constituti: non per iudicium & legitimam quæstionem, sed rabie quadam atque impetu bacchantis furentisque populi: in eóque numero quamplurimi fuerunt morbo affecti, multi natu grandes, multæ nobiles matronæ, generosæ virgines, mulieres prægnantes, pueri, infantésque complures: viri præterea quamplurimi doctrinarum atque artium omnium eruditione præstantes, & ab omni armorum ac tumul-

tus suspicione remotissimi. Ex illa carnificina multa item hominum millia facinore illo, quasi tempestate ac fulmine territa, relictis metu coniugibus ac liberis, in Angliam, Germaniam & Heluetiam tanquam in asylum confugerunt. Hæc vera esse Magnificentissimi & Potentissimi Heluetiorum magistratus, quique in eorum fide atque imperio sunt, norunt. Si diuinis atque humanis legibus semper omnibus seculis nefas habitum est, vnius hominis sanguinem iniustè profundere, necesse est aut magnam aliquam & atrocem illarum tot cædium causam fuisse, aut eos qui auctores earum fuerunt, nefarios ac sceleratos haberi. quippe quum etiam veteres prophani homines, & veræ Religionis imperiti, negarent fas esse, Solem intueri eum, qui hominem vnicum à se occisum fateretur. Est enim diuina illa lex, natura in hominum mentibus insita: Qui hominis sanguinem profuderit, eius sanguis profunditor. Nam homo ad imaginem Dei creatus est: neque violari quisquam innocens potest, vt non eodem scelere imago Dei violetur. Itaq; præclarum apud Athenienses institutum fuit, vt etiam lapides, saxa, ferrum & res inaminæ, quarum casu & ruina interfectus homo fuisset, cum publicis exe-

execrationibus extra imperij fines abijcerentur. Quæ quum ita sint, tamen exortus est nuper in Heluetiorum concilio, non Orator, sed conuiciator quidam, qui se Regis Galliæ Legatum professus, ausus est dicere horrendam illam trucidationem Regis mandatu atque imperio factam esse: & hanc tantarum irarum causam fuisse, quòd Amiralhius Castilonius, cui potissimum nex oblata est, vna cum aliquot nobilibus consilium inierat de adolescente Guysio interficiendo: simúlque mentionem aliquam aspersit de Regis matre Catharina Florentina, & eiusdem Regis fratre Henrico Duce Andico: quasi ad illos quoque consilium illud aliqua ex parte pertinuisset. Hæc illius non orationis, sed Conuitij petulantis ferè summa est, cui primùm summatim respondebimus: tum deinde ad singula ipsius criminationis capita descendemus, quanquam non tam illa criminatio est, quàm famosus libellus, probris, obtrectatione, contumelijs, conuitiisque refertus, quò indignior istius Conuiciatoris petulantia est: qui cui viuo & florenti nuper assentabatur, eidem nunc mortuo impudentissimè maledicit. Primum omnium, vt Amirallius cum aliquot familiaribus suis coniurationem illam fecerit, nō tamen iusta

fuit causa triginta insuper hominum millia iugulandi. Neque enim innocentes nocentium supplicio afficiendi sunt, neque alter ob alterius crimen damnandus. Quin etiam laudata semper vulgata illa sententia est: Satius esse nocentem absolui, quàm innocentem damnari. Quare, vt verum esse concedamus, Amirallium aliquam istiusmodi coniurationem fecisse, tamen quum iste Conuiciator tam multa hominum millia Regis imperio trucidata esse dicit, horribilis eum & post hominum genus natum atrocissimi facinoris insimulat. Atqui plerunque in prælijs vsuuenit, vt victis vniuersis, tamen singulis parcatur, & profligato exercitu, Duces victoria contenti dedititios in fidem recipiant: ac supplicio de paucis quibusdam nocentibus sumto, reliquis omnibus eiusdem tamen criminis socijs parcant. Quàm dissimilem Regis rationem nobis Conuiciator iste commemorat, vt propter paucorum nocentium culpam, tot innocentium sanguinem profuderit: de quo Deum, & Solem cœlumque & naturam rerum, & non modò mortales qui nunc viuunt, verùm etiam posteros testamur, Regnante Carolo IX. Valesio, triginta hominum millia propter paucorum (vt isti dicunt) conspirationem in ipsius Regno trucidatos fuisse. Cætera

tera deinceps videamus. Conuiciator profi tetur se Regis mādatu hanc apud Heluetios orationē habuisse. At sexcētæ Regis extant epistolæ, in omnes Regni sui Prouincias circūmissæ, & Regis ipsius manu subscriptæ, sigillóq; obsignatæ: quibus palàm atq; apertè denūtiat, cędē cognati sui Amirallij, aliásq; trucidationes Lutetię, aliisq; locis factas haudquaquā suo imperio, sed magno cum animi sui dolore cōmissas esse. quid amplius? Rex idem Potentissimus & Maximus denuntiat in ijsdē literis ac profitetur Franciscum Ducē Guysium adolescentem earū cædiū auctorem fuisse: qui se inscio, imprudente, inuito, arma cum Parisiensibus ciuibus ceperit, & impetum in Amirallij, cęterorúmq; nobilium ędes fecerit: dū ipse tumultu tanto ac tam inopinato perterritus in arcem se suā Luparam, vnà cum matre & fratribus suis abditū in occulto contineret: ægréq; suā illam arcem præsidijs & custodijs firmasset: magnóq; se ob illas cædes ac seditiones in vitæ discrimine versatum esse. Quinetiam extant Thesaurarij Regij (nomine Grangiani) literæ ad Magnificentissimos Consules Senatúmq; Bernensem, Fontanij ordinarij Legati, & ipsius Grangiani nomine scriptæ, quibus illud idem totidem propè verbis nuntiatur, affirmatúrq; Regiā

Maieſtatem indigniſſimè cædem illam A-mirallij cognati ſui tuliſſe: neq; illam propter cauſam Religionis, ſed propter priuatas Caſtilonicæ & Guyſianæ domus inimicitias accidiſſe. Itaq; non eſſe dubitandum, quin Rex ſit propediem facinus illud acerrimè vindicaturus. Hæc Magnificentiſſimi populi Bernenſis Magiſtratus vera eſſe ſciunt. Nunc vtris potiùs nos credere conuenit, Fontanio & Grangiano affirmantibus, an iſti Conuiciatori neganti? vtrum potius ipſi Regi, eiúſq; literis per totam Galliam circummiſſis, an verò huic ipſius (vt ſeſe nominat) emiſſario? Nobis certè verendum videtur, ne, dum Emiſſarius iſte purgare alios ac defendere conatur, ſe ipſum in grauiſſimum ementitæ legationis crimen induat. Semper huius Regis Caroli IX. clemens & manſuetum ingenium prædicari audieramus. Semper poſt ſedatos in Regno ſuo tumultus maxima ipſius in Amirallium beneuolentiæ teſtimonia extiterunt, ſæpe ex ipſo auditum eſt, quum diceret, velle ſe Regis Veridici cognomētum obtinere. Quàm verò huic honeſtiſſimo Veridici vocabulo conſentaneum videtur, quod iſti neſcio qui prædicant, Regem tantarum crudelitatum & trucidationum auctorem comprobatorémq; fuiſſe, neque vnquam de ijs pœnas

ſum-

ſumturũ: Nam quæ (vt ait Salluſtius) apud alios iracundia dicitur, ea in imperio ſuperbia atq; crudelitas appellatur. Ac ſex quidem his totis menſibus ne vnicam quidem vllo in oppido quæſtionem earum cędium nomine decretam fuiſſe, ſatis inter omnes conſtat. Sed reliqua videamus. Emiſſarius noſter profitetur, ſe diplomata & literas Regias habere, quibus mandata & legationem ſuam teſtetur. Profertur etiam libellus Lutetiæ & aliјs locis impreſſus, in quo traditur Regem XXVI. Auguſti die in Parlamento Pariſienſi multis Principib. ac proceribus comitatum, profeſſum eſſe, Amiralli um mandatu atq; imperio ſuo interemtum fuiſſe, quòd comperiſſet Amirallium inіјſſe conſilium, vt ſe, duos ipſius fratres, & Reginam matrem & Regem Nauarrum interficeret. Hoc loco Magnificentiſſimi Heluetiorum Magiſtratus aliam multò grauiorem (& ſi dictu fas eſt) fœdiorem pugnantiam & contradictionem animaduertunt. Nam prius Conuiciatorem iſtum Regis literis & orationi aduerſari videbamus. Nunc Regis ipſius pugnantes, aduerſas & contradictorias orationes perſpicimus. quaſi Regia Maieſtas ex eodem ore (vt Rupellani loquuntur) calidum & frigidum efflaret: Vnam eandémq; rem albam et nigram eſſe affirmaret,

ret, quaſi denique lucem tenebras, viciſſimq́ue tenebras lucem eſſe diceret. At ijdem Rupellani diſputant vetus eſſe iudicium in diſceptandis cõtrouerſijs inſtitutum, vt quum litigator pugnantia cauſæ ſuæ inſtrumenta profert, ea omnia pro nihilo habeantur. Et profectò ita eſt, vt vel iſtæ contradictiones ſolæ malè tum de iſtarum crudelitatum auctoribus, tum de iſto ſiue Oratore, ſiue exploratore noſtro ſuſpicãdi occaſionem præbeant. Verum enim vetus verbum eſt: Simplicem veritatis orationem eſſe. Extant paſſim libelli & literæ, quibus Rex cædium ſe illarum auctorem fuiſſe negat eáſque apertè deteſtatur. Ecce iam contrarios libellos quibus earum ſe auctorem profitetur. Quid de iſta contradictione iudicabimus? Quinetiam aliam rurſus varietatem ac pugnantiam videmus. Rex ſcribit Amirallium conſilium iniȷſſe, de ſe, & matre & ſuis fratribus interficiendis. At vaniloquus noſter in Oratione ſua nuſquam de Rege mentionem facit: ſed tantùm de Duce Guyſio, & nonnihil de Regina matre & duce Andico. Rurſus Rex ſcribit, conſpirationem ab Amirallio factam de necando Rege Nauarro. Speculator quum pudore deterreretur apud grauiſſimos & ampliſſimos viros iſtud proferre, ne minimam quidem Regis

Nauar-

Nauarri mentionem interpoſuit. Alia rur-ſus contradictio & pugna perſpicitur. Rex in illis libellis ſcribit, conſpiratum ab A-mirallio poſt vulnera illi impoſita. Emiſ-ſarius contrà oſtendit eo conſilio Amiral-lium Lutetiam profectum eſſe, vt ſcelera-tam illam conſpirationem, quam iampri-dem animo conceperat, ad exitum perdu-ceret: ob eámque cauſam multos ſecum ſi-carios & latrones in armis exercitatos ad-duxiſſe. Quinetiam explorator ipſe in Ora-tione ſua pugnantia loquitur. Primùm ſcri-bit Amirallianos ea mente atque animo Lutetiam profectos eſſe, vt Guyſium neca-rent. Alio verò loco ſcribit ipſos minaci-ter à Rege poſtulaſſe, vt Guyſiani omnes ex aula excederent. Item Amirallium ma-lè ſemper in Regem animatum fuiſſe: pau-cis autem pòſt verſibus, Amirallium miri-ficè Regis erga ſe beneuolentiam ſuis arti-bus illexiſſe. In his fœdiſſimis atque indi-gniſſimis contradictionibus (quas Magni-ficentiſſimi Heluetiorum magiſtratus lu-ce clariores vident) quidnam certi conſti-tuere poſſumus? Nimirum, vt ne verba (quę loquaculi cuiuſuis arbitrio fingi poſſunt) ſed res & facta & opera ipſa ſpectemus. Nam ſæpe res ipſæ tacentibus hominibus loquuntur. Id quod nunc accidit. Orator

enim

enim iſte contendit, Regij quoque libelli quidam clamitant, Amirallium ob nouam quandam conſpirationem interemtum fuiſſe. Nos contrà, Religionem quam Galli reformatam appellant, quàmque plerique Germani, Heluetij, Angli, Dani, Sueui & Scoti publicè colunt, appetitam: vetus hoc Religionis aduerſariorum conſilium fuiſſe, à Guyſianis ad eandem toto terrarum orbe delendam inſtitutum: initiúmque à Gallicis Eccleſijs factum fuiſſe. Vtri noſtrûm verum dicant, non ex verbis, ſed ex rerum ipſarum teſtimonijs, ex ſtatu, inquam, Regni Gallici, quiuis exiſtimare poterit. Primum ſimulatque cædes illæ Lutetiæ & alijs locis editæ ſunt, omnibus in oppidis, pagis, vicis & caſtellis, cultus Religionis, cuius nobis antehac poteſtas facta fuerat, interdictus eſt. Secundò vt primum illud idem facinus admiſſum eſt, repentè latrocinia, rapinæ, direptiones, in omnibus prouincijs atque oppidis factæ ſunt: ſed in eorum tantùm ædibus ac villis, qui Religionem reformatam profitebantur. Itaque conſtat centum millia honeſtiſſimarum familiarum latrocinijs illis oppreſſa fuiſſe: & iam viduas ac pueros orbos innumerabiles cuncta Gallia in ſumma vel mendicitate vel inopia vagari. Tertiò, poſtquã

illud

illud facinus admiſſum eſt,protinus quicun que in oppidis, vicis, pagis, caſtellis reperti ſunt illius noſtræ Religionis cultores, omnes vel occiſi crudeliter, vel ad illam Religionem abiurandam minis & terrore mortis adacti ſunt. Præſcriptáque eſt Regis imperio Abiurationis formula, qua receptam Religionem Euangelicam deteſtarentur: & Papam Romanum pro vicario Dei, & vnico Eccleſiæ doctore, ac magiſtro agnoſcerent. Dicit Orator iſte, Regi eſſe in animo, gentem Heluetiam, vt ſociam & amicam omnibus ſuis copijs atque opibus tueri: neque cuiquam extero principi propter Religionem negocium faceſſere. Homo vaniloquus, vt plerique (inquit Liuius) quos opes Regiæ alunt, maria, terras inani ſonitu verborum complet. Dicat nunc idem Orator: Rex ille, qui ſe Dei gratia Nauarrorū Regem, ac proinde alium à Rege Galliæ Regem profitetur, comitibus miniſtríſque ſuis omnibus ante oculos ſuos interfectis, vtrúmne Religionis ſuæ libertati relictus, an verò ad Pontificiam ſtatim adactus fuerit. Princeps Condæus,(qui tamen in Regis clientela eſt) fratréſque ipſius paruuli Regio creati ſanguine, nónne Religioni, in qua educati, baptizati etiam nōnulli fuerant, re nūciare coacti ſunt? Quid? Duciſſa Ferrariæ

matro-

matrona Illuſtriſs. Regis Ludouici XII filia, natu grandis, quam Orator quodā loco honorificè, vt debuit, nominat. quid facere tot lacrymis effuſis coacta eſt? quotuſquiſq; ex ipſius comitatu, familia & gynæceo reſtitit, qui nō abiurare ſuam Religionem coactus ſit? Denique interceptæ ſunt Ducis Guyſij literæ ad auiam ipſius paternam ſcriptæ, & Lutetia XXVII. Octobris proximi ſuperioris datæ, quibus nuntiat, ſe illo ipſo die in Conſilio Regio interfuiſſe, in quo Rex decretum fecerat de omnibus qui Romanā Religionem non colerent, exterminandis, eorúmque reliquijs funditus delendis, ſtirpéq; radicitus euellenda. Nam hæc illius verba ſunt. Decreuit, inquit, ne vni quidem parcere, ac non mulieribus, non infantibus abſtinere. Itaque nunc ex tam magno ciuitatum ac vicorum numero, in quibus antehac ex pacificatorio Regis edicto, Religio reformata colebatur, non amplius quatuor aut quinque oppidula ſuperſunt, Rupella, Montalbanum, Sancerra & Nemanſum, quò ſe patresfa. aliquot qui è carnificum manibus effugere potuerunt relictis coniugibus ac liberis, receperūt. Quanquam quid diximus ſupereſſe? Nullum enim iam illorum oppidorum eſt, quod non hoſtili obſidione prematur, nonnulla etiam

etiam tormentis & machinis oppugnan-
tur. Neque huius tantæ acerbitatis alia cau-
sa profertur, quàm quod palàm in Aula di-
ctitatur, Regi certum ac deliberatū esse, non
modò Clientes omnes suos (qui se tamen
non vt pecudes in lanienam, sed vt homines
in fidem ipsius tradiderunt,) verùm etiam
omnes alios qui in orbe Christiano sunt
sub imperium potestatémque Pontificis R.
redigere. Hæc, inquam, passim non modò
in Aula, verùm etiam tota Gallia dictitari,
ne Speculator quidem ipse, vt opinamur,
negare audebit: eodémque tot Cardinalium
& Legatorum Romanorum concursatio-
nes, & Cardinalis Lotharingij in Aulam
aduentum pertinere: ex quo sæpe in itine-
re auditum est, nullum intra biennium to-
ta Europa locum fore, in quo Pontificis Ro-
mani maiestas dignitatem suam non recu-
peret: Vnámque sibi hanc adipiscendi Pon-
tificatus summi facultatem superesse. Ita-
que vix pedem in Aula posuit, quum subi-
tò exercitus euocati, & ad illas obsidiones
dimissi sunt. Hæc igitur facta clara & per-
spicua optamus à Magnificentissimis Hel-
uetiorum magistratibus, atque Illustrissi-
mis Principibus Germanis spectari, non
inania & pugnantia quorundam vanilo-
quorum verba, qui pretio adducti vel Solē

meri-

meridie lucere negarent, siquod impudentiæ suæ præmium eo nomine expectarent. Quid verbis opus est? Ter bellum in Gallia Religionis defendendæ causa gestum est. Ter hac pactione sedatum, vt certis locis Religio coleretur. At tertio bello renouato anno M. D. LXVIII. Edictum Regis cum hac horribili clausula promulgatum est, quamuis superioribus compositionibus Rex cultum Religionis permisisset, semper tamen eam rem ab animo suo alienissimam fuisse, semper in animo habuisse libertatem Religionis opprimere. Ecquodnam aliud certius, perfidiosæ pacis testimonium quærimus, consiliiq; de Religione delenda initi. Itaque tam indigna Regia Maiestate clausula illa visa est, vt in alia eiusdem Edicti editione deleretur. Quid? Audebitne Vaniloquus iste noster negare, quod Sole ipso clarius est, centum honestissimarum familiarum millia triduo in Gallia latrociniijs & rapinis oppressa fuisse: & ad summam egestatem ac mendicitatem redacta: oppida illa, quæ nominauimus, obsidione & oppugnatione premi: non alia quàm Religionis causa? Audebitne etiam inficiari circummissos in singula oppida præcones ac tubicines, qui Regis nomine interdicerent, ne qua Religio præter Roma-

Romanam & Pontificiam vlla in Galliæ parte vsurparetur. Quæ quum ita se habeant, possunt & Illustrissimi Germaniæ Principes, & Magnificentissimi Heluetiorum magistratus constituere, quantum fidei Oratoris istius verbis & pollicitationibus tribuere debeant: qui studia & officia & beneuolentias nescio quas ijs se deferre profitetur. quasi verò, qui communem causam oppugnat, non omnes qui in eadem causa sunt, oppugnare cogitet, aut quasi non in eodem omnes qui eandem Religionem colunt, nauigio sint, & dum illud Emissarij ac veteratores isti perforant, non in idem nos omnes discrimen ac periculum adducant: aut quasi Germaniæ & Heluetij nesciant, Concilij Tridentini, & eius fœderis (quod Sacrum appellant) hos esse fructus, decretæ inquam ab ijs (vt appellant) vindemiæ cruentæ has esse primitias. Sed iam tempus videtur ad singula Conuiciatoris istius maledicta & obtrectationes accedere, quarum summa ac vehementissima illa fuit, in qua non apertè ac dilucidè, sed per ambages quasdam calumniatur, Amirallium cum aliquot suis gregalibus consilium Regis Galliæ necandi cepisse. Quod crimen planè ac perspicuè libellus Regis nomine diuulgatus, & pro-

testatio ab ipso in Parisiensi Parlamento facta eidem Amirallio imponit. Primùm omnium satis constat, sublato hoc Rege Carolo IX. non potuisse Amirallium amiciorem vllum sibi in Gallia Regem sperare. Nam Dux Andicus Henricus, frater natu minor, qui Regi interemto successurus fuerat, semper infestissimum sese Amirallio & Religioni reformatæ aduersarium præbuit, eámque, quibus potuit, modis vexauit: nunc etiam exercitu & copijs quas conscribere potuit instructus miserandum in modum insectatur. Quòd si de tribus fratribus interficiendis initum ab Amirallio consilium dicatur, cui dubium est, quin eo facinore admisso protinus omnes prouinciæ ac ciuitates Galliæ arma sumturæ fuerint, atque optatissimam sibi delatam facultatem existimaturæ in Religiosos omnes irruendi, eósque de medio tollendi: præsertim qui oppidis clausi atque inermes in eorum qui Romanam Religionem colebant, potestate ac ditione essent. Quod verò ad Nauarrum Regem attinet, quem libelli Regis nomine impressi & euulgati clamitant in eorum numero fuisse quos Amirallius necare statuerat, quid absurdius fingi aut dici potest? Erat Nauarrus partium illarum Princeps. Quamdiu nouissi-

uiſſimum bellum durauit, penes eum ſummma imperij fuit. Bellum denique ipſius auſpicijs ductúque geſtum eſt. Confecto bello Eccleſiarum & Religionis illius patrocinium ſuſcepit. Eundem Amirallius per triennium in ſua (vt ita dicamus) poteſtate propter conſilij ſui auctoritatem habuit. neque vllus in orbe terrarum Princeps erat, vnde Amirallius maius præſidiū ac beneuolentiam expectare poſſet. Cui tandem probari poterit amicos, comites, nutricios, domeſticos denique Regis Nauarri, qui tum in arce Lupara, ac proinde in poteſtate Regis erant cum Amirallius interfectus eſt, in necem Heri ſui conſpiraſſe, qui paulò ante lucem è ſuis cubilibus excitati, & partim in area, partim in arcis veſtibulo ab Regis cuſtodibus & ſatellitibus in ipſius Regis Nauarri flentis, & Regis miſericordiam implorantis, oculis trucidati ſunt? Cui probari poterit Amirallium duobus grauiſſimis vulneribus affectum, ægrum, ætate affecta, vtroque brachio captum, quorū de altero abſcindendo Medici & chirurgi deliberabant, minus quadraginta horarum ſpacio (non enim longiùs vitam produxit) tantam conſpirationem conflare potuiſſe: præſertim quum de Medicorum & Chirurgorū ſententia, ſermone & col

loquio interdictum illi fuisset? Cui probari poterit, eundem in Parisiensium se potestatem comissurum fuisse, & vrbem Lutetiam ad tantum facinus delecturũ, in qua hostes ipsius Guysiani, momento temporis armatorum millia non minus sexaginta cogere poterant, vt conceptum & inueteratum in Amirallium odium expromerent? Quis credat potuisse istud Amirallium exequi in arce Lupara quę nõ modò Heluetiorum, Scotorum, & Vasconum cohortibus ordinarijs munita erat, verùm etiam legione extraordinaria, quã Regina mater aliquot ab hinc annis præter Regum veterum consuetudinem semper in suo comitatu habere consueuit? Quis Conuiciatoris istius verbis adduci poterit, vt credat Amirallium, siquid eiusmodi consilij agitasset, sese & suarum ædium custodiam in Cossenij potestatem commissurum fuisse, eiusq; cohortis, quam Regis frater Henricus illi præsidium aliquod postulanti attribuerat? Sed vt iam superiùs diximus, in re perspicua, nihil opus est argumentis. Constat inter omnes Lutetiæ amplius quatuor hominum millia qui reformatam Religionem colebant, tridui spacio interfecta atq; in profluentem abiecta fuisse. Lugduni simili crudelitate, præfecti Mandælotti non imperio, sed rabie, in Rho-

Rhodanum & Ararim amplius tria millia deiecta. Rhotomagi item amplius duo millia. Burdegalæ, Tholosæ, Troye, Andibus, Altißioduri, Biturigæ occisorum corpora crudelem in modum laniata, vnco tracta, & in flumen abiecta fuisse. Quid de Aurelianis ciuibus dicemus, quorum antea in ciuitate habitare humanitas videbatur? Superioribus nouißimis tumultibus circiter centum & viginti honestos viros in Insula, (quam vulgò Quadrangulam domum appellant) inclusos ignibus subiectis viuos cremarunt. Aliquantò pòst non pauciores in carcerem compactos immißis sicarijs trucidarunt. Nuper verò accepto de Parisiensi carnificina nuncio, literísq; Concionatoris Regij, nomine Sanctofidij, admoniti, impetum hostiatim in singulas Religiosorum domos fecerunt: ac circiter mille ducentos viros trucidarunt: mulieres etiam octo & viginti: eorúmq; omnium corpora primùm per fenestras in vicos abiecerunt, tum inusitata rabie per vias vrbis lutulentas tracta in Ligerim præcipitarunt. Vnum etiam qui in Decurionum atrium profugerat, in ipsorum conspectu necarunt. Nemo tum Aureliæ fuit (fuerunt autem adolescentes Germani complures nobiles, studiorum causa à parentibus missi) quin sæ-

pe ſicarios illos magna voce clamantes audierit, Vbi eſt Deus veſter? vbi veſtræ preces, & Pſalmi & inuocatio? Seruet vos Deus veſter ſi poteſt. Nemo etiam illorum eſt qui neſciat vrbem omnium propè totius Galliæ nobiliſſimam rapinis & latrocinijs laceratam, nunc amplius tribus puerorum millibus refertam eſſe, qui honeſtis orti familijs nunc in ſummam egeſtatem atque inopiam redacti ſunt. Ex quibus facile intellectu eſt, quàm verè ab iſtis veteratoribus dicatur, cædes illas & carnificinas non propter Religionem, ſed propter neſcio quam nouam conſpirationem factas eſſe. Age, cætera videamus Alterum contumelioſi libelli conuicium eſt, quòd Amirallius magnas paſſim cuncta Gallia pecunias, magnam auri atque argenti vim congerebat, vt ſe Regi potentia & opibus adęquaret: & quum ſibi commodum videretur, exercitus aduerſus Regem compararet quo loco Conuiciator exclamans vociferatur Amirallium peculatus & læſæ Maieſtatis reum fuiſſe. Primùm vt Amirallium non modò peculatorem & perduellionem, verùm etiam veneficum, atque adeo (ſi ita placet) parricidam fuiſſe concedamus: tamen quęrere ex iſto Criminatore apud æquos iudices vellemus, quamobrem reus illis crimi-

nibus

nibus gentium omnium more & iure fa/ctus non sit? cur non comprehensus, in car/cerem compulsus, in iudicium adductus? Cur non causam è vinculis dicere coactus? cur indicta causa, inauditus, indemnatus omni supplicio excruciatus est? cur corpus ipsius per triduum (vt in historia à vobis e/dita scriptum est) vnco per vias vrbis Lute/tiæ tractum contumeliisq; omnibus affe/ctum est? Hæccine Gallicæ gentis Ascræa est, vt crimen sine accusatore imponatur: sententia sine consilio: damnatio sine de/fensione: supplicium sine causæ cognitio/ne? Quorsum igitur tot Parlamenta & ma/gistratus, & causidici ac rabulæ in Gallia? Cur plures in vnico Galliæ oppido rabu/læ numerari possunt, quàm in vniuersa Ger mania, quæ duabus partibus Gallia ma/ior esse memoratur? Si peculator & per/duellis fuit Amirallius, cur non compre/hendebatur? An ita comitatus & instru/ctus Lutetiam venerat, vt comprehendi non posset? At in mediam vrbem, intra ipsa mœ nia compactus erat, vbi non modò Rex le/gionem suam extraordinariam, & Heluetio rum, Scotorum ac Vasconum cohortes præ torias habebat, verùm etiam sexaginta Pa/risiensium millia vnius horulæ spacio coge/re, præsertim ad comprehendendum Ami/

 rallium,

rallium, poterat. Præterea grauiſſimis duo-bus vulneribus affectus lecto tenebatur. Conuiciator ipſe quodam orationis ſuæ loco diſertis verbis fatetur, incertam ac dubiam à Medicis ipſius ſalutem iudicatam fuiſſe. Iam verò cuſtos ædium ipſius cum ſua Sclopetariorum cohorte attributus ei fuerat Capitaneus Coſſenius: Guyſianę familiæ cliens, alumnus, deuotus: & ouis (vt dicitur) cuſtos lupus. Dicant omnes aulici ſycophantę & vaniloqui aſſentatores quod volent: Veritas, veritas inquam, omnibus illorum calumnijs fortior ac valentior reperietur. Violatum eſt ius gentium, violata fides publica in Gallia, cùm de tantæ dignitatis viro, vt propè tertius à Rege numeraretur, ſupplicium inaudita cauſa ſumptum eſt. Sequitur atrociſſimum criminationis caput. Magnas, (inquit Explorator noſter) pecunias Amirallius ab ijs qui eandem cum ipſo Religionem colebant, coëgerat: per cauſam æris alieni Germanicis equitib. diſſoluendi. At teſtes viuunt hodie in Gallia innumerabiles (quod ne Conuiciator quidem ipſe inficiari audebit) primū illas pecunias Regis imperio cogi ſolitas: deinde antequam id Rex decreuiſſet ſingulas ſummas in conſilio Regis Nauarri, Principis Condæi, multis honeſtis viris aſſeſſoribus

ribus diligenter constitutas fuisse: easque in tabulis perscriptas: & illorum assessorum manibus obsignatas, ac tandem ad sanctius Regis consilium perlatas fuisse. Tum Regem vni ex ærarij sui præfectis, nomine Vosinlio (qui vulgò Superintendens Gazæ Regiæ dicitur) negotium dedisse, vt rationes illas subduceret, deque ijs ad sanctius consilium referret. Ea re constituta, non fuisse in Amirallij aut cuiusquam alterius potestate, fraudem in ea re vllam admittere: aut teruntium plusquàm constitutum fuerat, à Religiosis exigere. Præterea cæteri gazæ Regiæ præpositi, (qui vulgò Generales & Receptores dicuntur) quibus exigendæ illius pecuniæ data potestas erat, à Rege ipso delecti & nominati curatores fuerant: à quibus illorum tributorum ac mensæ ratio exigenda est: non ab Amirallio, qui ei se negotio nunquam, nisi quum illos diligentiæ, fidei & officij sui admoneret, interposuit. Quinetiam tantum abest vt Amirallius suo compendio seruire potuerit, vt constet etiam hodie duos prope libellarum milliones à Religiosis deberi. Iam verò quoniam Conuiciator iste dicit, se cautiones & apochas vidisse Amirallij manu subsignatas, quibus scribebat se libellarum sex millia recepisse pro tribus men-

 sibus

stibus exactis : & eo amplius viginti quatuor millia pro anno exacto : primum intelligendum est, Amirallium superioribus bellis omnibus, semper à pecunia publica, quæ à Quæstoribus tractabatur, religiosissimè ac prope superstitiosè abstinuisse. Amirallius, inquam, tribus bellis ciuilibus suis se opibus sustentauit : sua pecunia se domesticósque suos aluit : quacunque iter fecit, nemini siue hospiti, siue cauponi oneri aut sumtui fuit : semper cibariorum & annonæ suo nomine pretium persolui iussit, quod denique ita raro accidit, vt nunquam fere accidisse dicatur, fecit, vt stipendio suo militaret. At sub exitum tertij & postremi belli quum arca iam exhausta esset, neq;, vnde mutuam sumere pecuniam posset, haberet, coactus est ea dè re ad Regis Nauarri & Principis Condæi consilium referre, in quo proceres & clari viri complures assidebant. In eo consilio non occultè, sed palàm attributa sunt illi stipendij nomine bina libellarum millia menstrua. Quarum rerum rationes diligenter à Quæstorib. confectæ & apochæ præterea manu Amirallij subscriptæ extant. Quòd si eius stipendij nomine vocari Amirallius in crimen potest, necesse est, omnes æquè alios qui eodem modo stipendium accipiebant & Gal-

los &

los & Germanos eodem crimine teneri. Cur enim pari in causa disparem iuris conditionem inducemus? Quid? quum apochæ Amirallij extent, eius stipendij nomine Quæstoribus datæ, quibus acceptæ pecuniæ causam illam nominatim exponit, quid est quod veterator iste calumniari possit? An fures aulici & peculatores auersarum pecuniarum apochas præbent? Quum igitur tot annos bella ciuilia durarint, tanta tamen Amirallij fuit abstinentia, religio, continentia, vt sex tantùm septémue mensium postremorum stipendium acceperit. At confecto bello Amirallius ne assem quidem eius stipendij nomine vnquam attigit. Quanquam pace constituta, quum propter Guysianorum insidias Rex Amirallio arcis & corporis sui custodes attribuisset, magnósque sumtus Amirallius & in illos facere cogeretur, & in ijs excipiendis qui ad eum assiduè questum de Magistratuum iniurijs ex omnibus Galliæ partibus ventitabant, in illo eodem publico Nauarri & Condæi consilio, non occultè, sed palàm ac publicè decretum fuit, vt ex ea pecunia quæ ex bellicis rationibus reliqua erat, millenæ menstruæ libellæ ipsi attribuerentur. Quæ tamen perexigua pecunia est, si onera hospitum excipiendorum spectemus: quum

quum etiam Emiſſarijs iſtis perſæpe ma⁄
ior ex plebis Gallicæ viſceribus attribui pe⁄
cunia ſoleat. Neꝗ verò prætereundum eſt,
quod huc magnopere pertinet. Andelot⁄
to Amirallij fratre mortuo, pupillorum pe⁄
cuniam Amirallius tutorio nomine admi⁄
niſtrauit. Quum de compoſitione ageretur,
eáque tractatio multos menſes duraret,
mitterentúrque ex noſtris caſtris in aulam
maximis ſumtibus nobiles complures eius
tractationis nomine, Amirallius ex ea pu⁄
pillorum pecunia multas ſummas eroga⁄
uit. Has ſummas quæ publico nomine in⁄
ſumtæ fuerant, Rex Nauarrus pace con⁄
ſtituta in ſuo conſilio, aſſeſſoribus conſilia
riiſque ſuis abhibitis, reſtitui Amirallio im⁄
perauit. quas ſi Amirallius à Quæſtoribus
pecuniam publicam tractantibus de conſi⁄
lij ſententia & decreto exegit, iure exegit,
pupillorúmque ſuorum nomine quibus ea
debebatur, non ſui lucri cauſa recuperauit.
Earúmꝗ rerum & tractationum omnium
rationes diligenter confectæ ac perſcriptæ
ſunt. De pecunijs verò erogatis in ſumtus
quorũdam Capitaneorum & aliorum quos
conuiciator dicit in rationibus nomina⁄
tos non eſſe: facilis & expedita reſponſio
eſt, ſi modò fateri volet, id quod omnes
ſciunt, cuius auctoritate atꝗ auſpicijs Bel⁄
gicus

gicus apparatus æſtate ſuperiore inſtitu-tus fuerit: ſi agnoſcere velit, quod negare non poteſt, Regem eo nomine multis Centurionibus qui partes Amirallij ſuperioribus bellis ſecuti fuerant, varias pecunias erogari iuſſiſſe: in his Rouueræo, id quod omnibus notum eſt, qui Montij in obſidione interfectus eſt, quingentos ſcutatos aureos. Nam etiam paucis ante Amirallij cædem diebus Rex imperarat ei qui Parſimoniæ Theſaurarius dicitur, vt tria libellarum millia, ijs ipſis de cauſis Amirallio adnumeraret: quemadmodum ex rationibus eiuſdem Theſaurarij conſtare poterit. Quanquam quid agimus? aut cui tandem tractatæ ab Amirallio pecuniæ rationem reddimus? An verò ridiculum non videtur, rationem eum adminiſtrationis ab altero repoſcere, qui non poſſit ſuæ reddere? Tu verò, Conuiciator, qui tantas largitiones Regias in Heluetia per tot annos adminiſtraſti, toties in tuas rationes munera Centurionibus & præfectis militaribus, & ſpeculatoribus tuis, arbitratu tuo data ac diſpertita induxiſti: ſiquis ſeueriùs abs te rationes repoſceret, quid faceres? At vide quantum inter te & Amirallium interſit niſi verò nefas eſt tantum virum cum iſto veteratore conferre. Tu familia plebeia natus, aulicis arti-

bus

bus paucorum annorum spacio in maximas opes excreuisti. At Amirallius patre Marescallo Franciæ, auis proauisque illustribus natus, Magni Connestablij sororis filius, tot annos in maximis Regni negotijs versatus, quásnam opes congessit? quas villas, quæ latifundia comparauit? Quibus locis suum patrimonium amplificauit? Hîc te manifestæ vanitatis & calumniæ teneri non sentis? Non Amirallij mediocritatem testem ipsius abstinentiæ & integritatis idoneam esse fateberis? Nos verò etiam testes tibi producemus creditores ipsius Amirallij complures, in his Aurelianos mercatores & patresfa. catholicarum (vt vos loquimini) partium studiosissimos, qui fatebuntur Amirallium, vsurarum nomine non minus octona libellarum millia annua pendere solitum fuisse, ac præterea amplius quinquaginta aureorum scutatorum millia certis hominibus debuisse. Verùm hæc quidem de peculatus calumnia plus satis. Sequitur quartum maledicti genus: quum Emissarius nôster in Heluetiorum concilio dicere ausus est, Amirallium palàm in Regio senatu sanctiore minitatum esse Regi, nisi bellum Hispano & Albano inferret, fore vt bonam Gallorum partem aduersus Maiestatem ipsius concitaret. Huic igitur nos

qui

qui Amirallij actionum testes ac participes fuimus, ita breuiter respondemus. Paucis ante nouissimam pacem mensibus ventitabat in Regis Nauarri castra Bironius praefectus fabrûm, siue magnus Tormentorum Regiorum magister, à Rege de compositione & pace concilianda missus. Is Amirallio, Ludouico, Comiti Nassouio & Thelignio Amirallij genero saepenumero dixit, mandatum se à Rege habere, vt cum ipso de bello in Belgas transferendo ageret: partim quòd magnis ab illo Rege contumelijs affectus esset, partim quòd Amirallius Principem Vranium in suis castris habuisset, tum etiam Ludouicum Comitem Nassouium Vranij fratrem apud se haberet: quorum opera facilis in Belgarum ciuitates aditus praeberi posset. Ex eo tempore quid Rex Vranio, Nassouio, & alijs de illo apparatu scripserit, quae mandata Genlisio, Lanouio, caeterisque qui Montium occuparant, dederit, nihil nos attinet commemorare. Dux Albanus, Dux, inquam, ipse Albanus (quod te Conuiciator excruciat) plura iam interceptis Nassouij, Genlisij & aliorum literis, & ex captiuorum quos summis cruciatibus affecit confessionibus peruestigauit, quàm ad illa tegenda consilia opus fuisset. Quas Genlisius equitum pe-

ditum-

ditúmque copias cuncta ex Gallia, vt eas in Belgas educeret, ex vtriusq; Religionis militibus comparauit, quas Villerius Paussius eo tempore quo Amirallius occisus est, iam vndique conscripserat, & eodem ducebat, cui probabitur ita palàm & apertè sine Regis imperio comparatas fuisse? Præsertim quum bona militum equitúmque pars eorum è numero esset, qui Catholici nominantur. Si tot apparatus Regis imperio ac mandatu factos neges, primùm in re omnibus nota, ipsísque etiam hostibus comperta nihil nisi impudentiæ & perfrictæ frontis laudem assequêre, deinde coges nos enuntiare multa, quorum iam magnam ab Albano partem illustratam ac patefactã esse constat. Cuinam ergo probabis Amirallium ista minaci & furiosa oratione apud Regem vsum fuisse: nisi qui vel ipsius grauitatem & moderationem ignorabit: vel de propenso Regis in illud bellum animo nihil audierit? Quintum maledictorum genus fuit, quòd Amirallius circum se semper latrones in hominibus necandis exercitatos habuerit. Dictum est iam antea, non ex verbis, sed ex factis quanq; rem æstimandam esse: Bellum gessit Amirallius in Gallia vnà cum Principibus Condæis patre & filio, annos multos. Postremò vnà cum

cum Rege Nauarro, ſemper vna cum dele-ctiſſimis Equitibus, & (vt rem verbo abſol uam) vna cum flore nobilitatis Gallicæ. Si-gna etiam cum aduerſarijs ſexies contulit, & (vt Mars belli communis eſt) aliquoties fuſus eſt: interdum ipſe aduerſarios fudit, cruentam certè ſemper & luctuoſam ſuis ad uerſarijs victoriam reliquit. Si proceres ac nobiles illos, latrones Conuiciator appel-lat, & in hominibus necandis exercitatos: primùm in generoſiſſimas quaſque totius Gallicæ familias contumelioſus eſt: ac tur-pe eſt, quibus viuis ſit aſſentatus, in eoſ-dem mortuos probra & maledicta conijce-re: deinde ipſi Regi grauem facit iniuriam, qui in omnibus ſuis Pactionibus, edictiſ-que pacificatorijs teſtatus eſt, omnes eos, qui cum Amirallio arma tulerant, non con-tra ſe, ſed pro ſua dignitate & ſeruitio (vt ipſe loquitur) tuliſſe: omnes ſe illos pro fi-dis clientibus habere: ſciréque illos optimo erga ſe animo, & tantummodo tuendæ Re-ligionis, non Regis ſui oppugnandi cauſa, bellum ſuſcepiſſe. Iam verò quid de Illu-ſtriſſimis Principibus Germanis dicemus? Quinque Potentiſſimi Principes, Elector Palatinatus, Landgrauius Haſſiæ, Duces VVirtebergicus & Bipontinus, & Marchio Badenſis primo ciuili bello ſubſidium equi-

tum Germanorum Amirallio miserunt. Secundo bello Illustrissimus Dux Casimirus, tertio Dux Bipontinus copias auxiliares Amirallio non miserunt, sed ipsi adduxerunt. Audebitne Speculator iste Germanos illos Principes latronum nomine appellare? Ipse amplissimus Bernensis Senatus primo ciuili bello aliquot Heluetiorum millia subsidio Condæo & Amirallio misit, an vt latrocinia in Gallia facerent? quemadmodum Conuiciator iste petulanter loquutus est. Imò verò vt Religionis causam & Regiam auctoritatem, quam Guysiani oppugnabant, defenderent. Denique primo ciuili bello missi sunt Legati duo à Principe Condæo Francofurtum, ad concilium Germaniæ: cui Ferdinandus Imperator præfuit, Maximilianus autem Imperator inuictissimus qui nunc regnat, interfuit, & auspicatò Romanorum rex creatus est. In eo concilio prolatæ, recitatæque sunt literæ, manu Reginæ matris ad Principem Condæum scriptæ, quibus eum obnixè rogabat, vt sese ijs opponeret, qui Regni pacem atque otium Ianuario edicto constitutum conturbabant: vt matri & liberis, hoc est ipsi & Regi opem ferret: vt denique salutem Regni commendatam haberet. Neque verò prætermittendum est, quod Conuiciator in parte quadam

dam Orationis suæ pronuntiauit. Nā quum Amirallio mortuo petulantissimè malediceret, quæsiuit ipse de se, quibus testimonijs omnia illa plana faceret, simulque respondit, anteactam Amirallij vitam eorum omnium testem esse. Accipimus conditionem, ô Sycophanta vanissime, vicissimq; ex te quærimus: Quid fuit causæ, cur Amirallius in tantum Romani Pontificis odium veniret? an non Religio? Quid à Reginæ matris gratia, aulicis & honoribus tantoperè illum remouit? annon Religio? Quis in medijs flammis (quibus nostri olim viui cremabantur) Regem, vt ab illa crudelitate abstineret, supplicare ausus est? annon Amirallius? quis ea de re ad sanctius Regis consilium retulit? & tum retulit quum verbum ea de re nemo facere auderet? Annon ipse idem Amirallius? Quem habuerūt ministri & pastores Ecclesiarum, patronum, ad quem consilij auxiliique causa confugerent? annon Amirallium? Quis nobilitatem Gallicam ab inueteratis aulæ corruptelis primus ad pietatem & reformationem vitæ reuocauit? annon idem ipse Amirallius? Cuius exempla Galli proceres ac nobiles in condiscenda pietate, in familijs suis reformandis, in Ecclesijs constituendis, in precibus domesticis pronunti-

andis, hymnis canendis, & lasciuis carminibus relinquendis imitabantur: Solius Amirallij. Nemo denique his quindecim annis Religionem in Gallia puriorem professus est, qui non Amiralij sanctimoniam, pietatem, modestiam, integritatem, iustitiam admiraretur: nemo qui eum propter illas virtutes non coleret. Vtri ergo fides potius habebitur, vaniloquo Conuiciatori, qui nuper viuum Amirallium in aula blandissimè affectabatur, an centum hominum bonorum millibus, qui mortui memoriam eadem pietate colunt, qua antehac viui effigiem colebant. Habes igitur Speculator impudens ad tuum de latrocinijs maledictum responsionem certissimam. Latrones dicuntur: qui homines prædæ causa spoliant: qui homines incautos per insidias interficiunt: id quod Lutetiæ factum est: qui denique proditorio ingenio ijs blandiuntur, quibus occultè pestem atque interitum moliuntur. Itaque latrocinij finis est, rapina & direptio: At omnes Amirallij conatus, ærumnæ, consilia, labores vnicum hunc exitum & finem habuerunt, vt saluus in Gallia Religionis cultus esset. Non igitur ex tuis verbis, sed ex factis Amirallij de ipso & hæc ætas, & posteritas iudicabit. De te verò, Legate Speculator, qualem tandem

opinio-

opinionem relicturus es? An Senatoris & Consiliarij Regij? Quum omnibus rebus Senator & Calumniator differunt, tum verò hac re vel maximè, quod ille siquem perniciosum Reipub. ciuem, siquem malè erga Regem Regnúmue animatum animaduertit, fortiter eum apud suum Regem accusat: & quò magis eum gratià atque opibus florere videt, eò magis Regem vt ab illo caueat, hortatur. Hic verò quum illum in gratia esse videt, blanditur, obseruat, affectatur: ad eius se voluntatem inflectit: vbi verò se fortuna inclinauit, tum illum in crimen vocat, probris maledictisque omnibus insectatur: si forte etiam interfectus est, execratur, memoriámque illius, quibus potest contumelijs exagitat. Sextum maledictorum genus sequitur, quum vaniloquus noster scribit, Amirallium certos homines in quibusque Gallæ prouincijs habuisse, quorum opera celeriter (quum ei commodum esset) exercitus comparare, & Regi bellum inferre posset: ob eámque causam Regi & vniuerso Regno terrori ac formidini fuisse. Itaque in ipsius pugillaribus reperta esse multorum Capitaneorum nomina, ipsius Amirallij manu scripta. Qua oratione ita Criminator noster vtitur, quasi apud Barbaros aliquos & Gallicarum rerum imperitos verba face-

 ret:

ret: non apud sapientissimos viros, qui & Gallici Regni & nostrarum Ecclesiarum statum, æquè vt nosmet ipsi, cognitum ac perspectum habent. Nemo nescit fuisse in omnibus Galliæ prouinciis multos proceres, multos illustres, potentes, ac nobiles, qui eandem cum Amiralio Religionem reformatam colebant. Fuit etiam Ioanna Nauarrorum Regina, fuit filius ipsius Rex Henricus. Fuere Principes Condæi, regio creati sanguine. Fuit in Campania Princeps Portianus: fuit frater ipsius Marquio Rinellius. Fuit in Santonibus Comes Rupifocaldius, fuit Duracius: in Andibus, Comes Susianus, Lattomius: In Picardia, Genlesii, Moruillerius, Mouius, fratres Picquenii. Fuere in Prouincia Narbonensi & Lugdunensi Cyperrius, Dacerius, Beldinius, Mombrunius, Pereus, Sancomantius, Harpagenius: fuit etiam Mouantius, virtute tamen, quàm opibus nobilior. Hi quoties consilium de Religione opprimenda captum à Guysianis intellexerant, eodem animo ad arma concurrebant, vt si quos externos hostes patriæ bellum inferre intellexissent. Sic enim sibi persuaserant: Quo iure pro patria licet arma capere, eodem atque etiam multò maiore pro Religione priuato quorundam consilio oppugnata

capere

capere licere. Neque verò tam Amirallius ipſorum opera, quàm ipſi Amirallij virtute, conſilio atq; auctoritate vtebantur. Hos ſi quis ſiue Legatus ſiue explorator, Regni hoſtes appellat, primùm eadem ipſa, qua paulò ante vſi ſumus, defenſione vtemur, Regiſq; tria Edicta opponemus, quibus teſtatur ſe Amirallij, cæterorùmque omnium qui cum ipſo pugnarunt, arma comprobare, ſciréq; ſuæ dignitatis, non vllius iniuriæ inferendæ cauſa bellum feciſſe: eodémque illos loco ac numero habere, quo cæteros qui ſuo nomine ad bellum illis inferendum vſi fuerant: deinde alterum Regis eiuſdem teſtimonium tibi opponemus, qui quum Hiſpanienſis Legatus Regis ſui nomine vehementius quodam die expoſtularet, quòd pacem cum ſubiectis ſuis faceret, clamitarétque indignum eſſe Maieſtate Regia cum ſubiectis paciſci: reſpondit, ſe cum ſubiectis ſuis neque pacem, neque pactionem vllam facere: neque enim illos bellum cum ipſo geſſiſſe, ſed ipſos inter ſe, Catholicos ſcilicet & Religioſos, decertaſſe. Eorum autem contentiones velle ſe pacificatorio ſuo Edicto ſedare. Poſtremò teſtem armorum exitum proferemus: quæ non ante capta ſunt, quàm permiſſa Regis edicto Religionis libertas opprimeretur: ſimul vt, eadem

dem restitura est, protinus posita & abiecta sunt. Non igitur dispositos Amirallius bellicosos homines in Galliæ prouincijs habuit, quorum opibus Regem oppugnaret: sed quum multi Amirallio potentiores illustrioresque essent, qui Religionem opprimi nolebant, si consilium illius opprimendæ captum intellexerant, communi consilio vim vi depellebant. At Regem oppugnare est Maiestatem aut Imperium eius minuere: sibique partem eius aliquam assumere: à quo consilio alienissimum semper Amirallium fuisse, declarat illud, quod quandiu Ecclesijs Gallicis salua Religionis libertas mansit, nunquam arma sumsit: vbi eadem ademta, & restituta est, continuò ab armis discessit. Itaque ridiculum ac plane nugatorium est, quod Conuiciator subiunxit, nonnulla Centurionum nomina in occisi Amirallij pugillaribus reperta fuisse. Quid? vos igitur ista Parisiensi victoria non contenti, pugillares etiam & literas & arcas omnes exploratis? Quam dissimilis illa Cæsaris ratio fuisse memoratur: qui post Pharsalicam victoriam, quam non ab nudis, & sopitis, & supplicibus: sed ab armatis & fortiter pugnantibus reportarat: arculas, tabulas, literasque omnes conijci in ignem iussit. Verũ esto, Reperta sunt in Amiral-

rallij codicillis aliquot centuriorum nomi-na. Quaſi verò Doctor, aut ludimagiſter aliquis eſſet Amirallius: cuius ars à militarium præfectorum conſuetudine ac rationibus aliena eſſet. Nomina centurionum omnia quæ in Amirallij pugillaribus reperta ſunt, quæ ab illo quotidie pronunciari audiebamus, ſcimus eorum fuiſſe, quos ad Belgicum apparatum Regis imperio mittebat, quib. Rex ipſe dare mandata ſolebat: quos denique Rex nonnullis noſtrûm internuntijs ab Amirallio conquiri euocariq́ue iuſſerat: niſi forte cuiquam te probaturum exiſtimas, tantum in Gallia belli apparatum inſcio, atque imprudente Rege fieri potuiſſe. Tot Genſilium & Vilerium cuncta ex Gallia cohortes ſine ipſius venia, ducere in Picardiæ fines potuiſſe. Septimum, opinor, maledictum illud fuit, quòd quum Amirallius, vulneribus affectus, rogatus eſſet à Rege, vt in arcem Luparam deportari ſe pateretur, contumaciter & arroganter id recuſarit: quoniam (inquit Orator noſter contumelioſus) malebat in ſuorum aſſeclarum Comitatu eſſe, quàm in Regis domicilio. Itaque ſemel ait illum ex lectulo ſurrexiſſe, & lacertos ſuos commouiſſe, tentaſſéq́ue, ecquid ad facinus aliquod idonei eſſe poſſent. O ſtultitiam Oratore Regio

indignam? Apertè ipse quodam loco fatetur, Amirallium ita grauiter ex illis vulneribus ægrotasse, vt Medici de ipsius salute dubitarent. Post illa vulnera accepta, vix Amirallius horas quadraginta vixit. Præstò ei assiduè fuerunt nouem Medici: vndecim chirurgi: plerique Regij. In his Doctor Marsilius, clarus ac nobilis in primis. Nemo tum illorum fuit, quin ei quietem & cessationem ab omni negocio, atque adeò silentium imperaret, nemo qui non loco illum moueri prohiberet, ne fortè ex succussu dolor ingrauesceret: quum præsertim de sinistro brachio ei amputando magnopere inter ipsos disceptaretur. Ecquænam in homine exangui & semianimi tanta esse contumacia potuit, vt amantissimum Regis consilium repudiaret? Quid? si delatus in arcem Luparam Amirallius fuisset, meliúsne actum cum illo fuisset? Si perpetuus Regis Regniq; hostis fuit Amirallius, qualem eum Conuiciator iste describit, si semper in gentem Valesiam malè animatus, si peculator, si latronum & sicariorum princeps, cur eum Rex tam amanter comitérq; inuitabat? An si in Regia domo mortuus Amirallius fuisset, bonus vir ac ciuis habitus fuisset? quoniam in priuata domo mortuus est, perduellis & peculator nominabi-

nabitur. Ista ergo ratione, locus innocentiam crimenue tribuit. Iudicet istam impudentem maledicendi petulantiam Deus, sycophantarum vindex iustus: mercedémque ipsis debitam, persoluat. Hoc loco pauca de Maureuetio dicēda sunt: in quem Criminator noster vulneris Amirallio impositi suspicionem confert: nam planè & apertè nihil exprimit. Scribit tamen eum, si id fecit, non præmij spe & pollicitationibus adductum fecisse, sed quoniam Amirallius minitatus fuerat, se Mouij necem vlturum, quem Maureuetius interfecerat. Ante hac vulgo persuasum erat, Bondottum quēdam Regium hyppotoxotam eius facinoris fuisse auctorem, propterea quòd compertum est, fistulam ferream, qua vulneratus est Amirallius, illius fuisse. Verùm esto. Fuerit auctor Maureuetius, is inquam, Maureuetius, qui tertio ciuili bello Mouium interfecit. At quo pacto interfecit? nam id Criminator noster astutè reticuit. Erat Mouius, vir potens, nobilis, & rei militaris laude inprimis clarus: cæteroqui adeò miti ac mansueto ingenio, vt etiam aduersarijs eo nomine charus atque acceptus esset. Is quum in Principis Condæi castris equitum turmæ præfectus esset, Maureuetius ad ipsum bello ciuili secundo venit.

Rogat

Rogat vt ſe in ſuum numerum recipiat. Ro/
gatus ſacramento iurat ſe & Condæo, &
Mouio, præpoſito ſuo, fortem fidelémque
operam in bello ac prælio præſtiturum.
Tertio ciuili bello Guyſianorum ſe parti/
bus adiungit: eorúmque caſtra multis men
ſibus ſectatur. Quum ad proditionem ad/
miniſtrandam ac facinus aliquod nefarium
idoneus iudicatus eſſet, pactio fit cum eo,
vt ſi pro transfuga in Nauarri caſtra profe/
ctus Amirallium ex inſidijs interficeret, de/
cem aureorum millia mercedis haberet. Cō
ditionem accipit. Septem ante prælium
Monconturicum diebus in caſtra Nauarri
proficiſcitur, ad Mouium ſe, veterem ſuum
præpoſitum confert, Guyſianos diris omni/
bus deuouet: execratur: quibus poteſt ver
borum contumelijs exagitat. Mouius aſſe/
ueranti credit: Amirallio eum, cæteriſque
amicis commendat. Leuia tum quotidie
prælia equeſtria propter caſtrorum propin
quitatem committebantur. His Maureueti/
us aderat: reique gerendæ opportunitatem
captabat. Sed quum Amirallius magno
ſemper comitatu ſtipatus eſſet, nihil Mau/
reuetius potuit. Triduo interpoſito præli/
um committitur. Initium fugæ naſcitur à
Maureuetio. Ea fuga multi terrentur, tum
calamitas ingens accipitur. Biduo pòſt Mo
uius

uius oppido Niortio præficitur. Quum equites hostium non procul visos esse, nunciatum illi fuisset: signum dari atque oppido nonnullos secum equites exire iubet. Præstò est Maureuetius. Vix quingentos extra oppidum passus Mouius prouectus est, quum ecce Maureuetius illum à tergo adortus, bombardulam in ipsius occiput intendit, eumque glande plumbea transfigit: simúlque incitato equo, contento cursu ad hostes glorians ac spei plenus transfugit. Vbi ad eum, ad quem se tanquam ad laudem & præmium venturum sperabat, adductus est, miram aduentus sui expectationem commouit. Actum enim de Amirallio putabatur. Vbi nihil nisi de Mouio interfecto nunciauit, omnium propè vocibus repudiatus est. Mouij enim mansuetum (vt dixi) ingenium plerique omnes adamabant. Itaque sedato bello, consilij rationem immutauit. Nam bolum illum decem aureorum millium, quem spe iam atque animo deuorarat, sibi è faucibus ereptum, molestè ferebat. Pactionem de præmio renouat. Demonstrantur illi ædes Canonici Parisiensis, è quarum fenestris cancellatis res geri possit. Ne diutius teneam, eo modo, quem aduersarius exposuit, negocium confectum est. Verùm vt ad Mouium reuertamur: quid
nunc

nunc Criminator noster apud æquos iudi-ces interrogatus respondebit? numquid-nam hic à nobis affingi dicet? an periuri-um illud & proditionem nefariam fuisse ne gabit? Vos verò crudeles sycophantæ, qui Poltrotium ob Guysium interfectum, qua-drigis tractum laniastis, ecquam isti prodi-tori Maureuetio præposito suo perfidiosè interfecto pœnam statuistis? Si Poltrotium ob perfidiam (vt dicitis) tanto cruciatu af-fecistis, cur in pari scelere alteri præmium, alteri supplicium constituistis? cur quod in illo ius valuit, in pari eadémque causa non va lebit? Iam enim antea dictum est, Regem ipsum crebrò in ore habuisse, non contra se Mouium & Mouij similes arma tulisse: sed diuisos contentionibus suis clientes su-os ipsos inter se decertasse. Quod quum ita sit, si proditor fuit Poltrotius, fuit etiam Maureuetius: si supplicio dignus Poltro-tius, etiam dignus Maureuetius. At is ma-gno iam apud vos in honore est: magnisque præmijs affectus: Romam etiam (vt vulgo dictitant) nuncij perferendi causa profe-ctus, magnis à Pontifice donis muneratus est. Venio ad octauam istorum conuicio-rum partem: vbi scribitur Amirallium nun-quam Regno Galliæ memorabilem ope-ram præstitisse: nūquam ipsum patriæ suæ, nisi

nisi ad seditiones & ciuiles dissensiones exercendas vsui fuisse. Quæ, malum, ista impudentia est. Vtrum Senator iste legatusque Regius in Repub. nostra hospes versatur, maximarúmque rerum, quæ memoria nostra gestæ sunt, est imperitus, an verò improbus & malitiosus? qui fortissimo Duci & de patria sua optimè merito debitam laudem inuidiosè detrahit. Año M. D. XLIIII. quum ad Regem allatus ex Insubria nuntius fuisset, rem ad prælium paucis diebus deductum iri, confestim Amirallius annum agens ætatis sextum & vicesimum iumentis dispositis eò aduolauit: itaque se in eo prælio (quod nostri Cerizolinum appellant) gessit, vt spem bene gerendæ Reip: quam omnes de ipsius indole ac virtute conceperant, non modò sustinuerit, verùm etiam superarit. Aliquantò pòst pedestrium copiarum Gallicarum magister ab Henrico Rege factus, disciplinam militarem superiorum magistratuum vitijs corruptam seuerissimis legibus restituit: quæ leges aliquantò pòst iussu Regis editæ, atque vsque ad hoc tempus obseruatæ sunt. qua de causa Eques ordinis Regij factus est: statimque pro regio imperio in Nortmanniã & Boloniam missus. Anno M. D. XLVIII. orto inter Gallos & Anglos bello, quum

Galli Boloniam oppidum obsiderent, ca-stellum propè ab ipsius mœnibus incredi-bili diligentia ædificauit, vnde tantam op-pugnandi oppidi facultatem præbuit, vt non magno tempore interiecto deditio-nem oppidani facere cogerentur. Qua de causa, castellum illud ex Amirallij nomine Castilonicum dictum est, hodieq; nomen illud retinet. Itaque ob eam causam Rex eum Amirallium creauit, qua dignitate nul-lam ferè in Regno Galliæ maiorem, aut il-lustriorem esse constat. Paulò post Picar-diæ & Insulæ Franciæ Gubernator factus est. Iam verò, cui memorabile illud eiusdem facinus ad oppidum Sanquintinum non sæpe auditum est, quum per medios hostes qui tum illud obsidebant, iámque fossæ par-tem præsidijs occuparant, tamen in oppi-dum ingressus est, secúmque ducentos qua-draginta milites introduxit, fortitérque hostium impetus multos sustinuit. Sed melius erit harum rerum narrationem & integram Amirallij vitæ historiam, quam in manibus habemus, aliud in tempus dif-ferre. Nunc eorum, quæ in cæde indignis-sima acciderunt, summam subiungemus. Vt primùm ex ædibus Villemurij Sacer-dotis & Canonici Parisiensis, qui Ducem Guysium literarum elementa docuit, Ami-

ral-

rallius duabus ereis glādibus percussus est, in cubiculum suum à suis deductus est. Eodem confestim medici chirurgique ad volarunt: vni ex ijs qui hæc testantur, Amirallius duas chartulas dedit: quarum in altera Epistola erat Comitis Nassouij: in altera supplicatio quam Typographi cuiusdam nomine Regi oblaturus fuerat. Tum in lectulum impositus est, vnde quum Maurum Reginæ Nauarræ concionatorem animad vertisset, verba hæc pronuntiauit. Hem mi frater: nunc sentio me à Deo singulari honore affectum esse, quod propter sanctissimum ipsius nomen plagas istas acceperim. Faxit ipse, ne vsitatæ suæ erga me clementiæ obliuiscar. Quum eôdem chirurgus Regius, nomine Ambrosius venisset, iussit vnum ex ijs qui hæc testantur, brachium sustinere: apertéque dixit, digitum illi amputandum, quod quum ille forcipibus non satis acutis facere cœpisset, magnum misero dolorem attulit. Ter enim forcipes aperire, ter premere coactus est. Vbi ad brachium ventum est, interuenit Merlinius Principis Condæi concionator, qui vbi è literis sacris eum consolari atque ad patientiam cohortari cœpisset, sæpe Amirallius in has voces erupit: Mi Deus; ne me in tantis doloribus deserito: ne

vsitatam tuam erga me clementiam inter-mittito. Tum vni ex illis brachium ipsius sustinenti in aurem insusurrauit, vt illi concionatori centum scutatos aureos adnumeraret, quos confestim Parisiensis Ecclesiæ pauperibus erogaret. Aliquantò post Rex Nauarrus, Princeps Condęus eum inuiserunt, multisque illum verbis consolati sunt. Venerunt etiam sub meridiem Marescalli Regni Danuillius, Cossæus, & mox Villarius, cognomento Sabaudus, qui nunc Admiralliј dignitatem obtinet. Hi quum amantissimis verbis eum salutassent, negassentque se eò venisse vt illum ad patientiam & fortitudinem animi cohortarentur: propterea quòd, inquibant, tibi domi ista nascuntur, tu alios monere consueuisti: tibi ergo ipsi ne desis: Hilari vultu ita respondit: Verè & ex animo vobis affirmo: haudquaquam me mors terret. Lubenter spiritum quem à Deo fruendum accepi quum ipse reposcet, illi reddam. Sed magnopere optarem vt mihi beneficio Regis liceret ipsius Maiestatem alloqui, nam habeo quæ illi dicã, quæ certò scio neminem vestrûm audere ad illum deferre. Respondit Danuillius se libenter id Regi renuntiaturum. Simulque ipse & Villarius discesserunt: aliquanto diutius ibi Cossæus restitit: cui Admiral-

mirallius: Meministin' quid paucis ante horis tibi dixerim? Sapies, & tibi cauebis. Aliquanto post nuntiatum est Regem adesse. Venere vna cum illo Regina mater, duo Regis fratres, Cardinalis Borbonius, Dux Mompenserius, Tauannius, Cossæus & Villarius Regni Marescalli: Comes Rhetius, Thoreus, Meruuius, & Nanceyus. Rex his intromissis cæteros omnes excludi iussit præter Thelignium Amirallij generum, & vnum ex ijs qui hæc testantur cui imperauit, vt ad ianuam assisteret: videretque ne quis præterea intromitteretur. Is vtriusque sermonem studiosissime attendit, & Deum testatur, ita se rem habere, vt subscribemus. Quæ Regi in aurem admurmurarit Amirallius, Deus nouit: Rex ipse quandiu viuet meminerit. Quæ clara voce omnibus audientibus dixerit hæc fere sunt. Here, testis est mihi Deus, ad cuius tribunal euocatus iam videor, me quandiu vixi, fidelissimum erga Maiestatem tuam fuisse, imperioque tuo addictissimum: semperq; ex animo ac toto pectore optasse, vt quàm florentissimum ac beatissimum Regnum diutissime obtineres. Scio non defuisse, qui me proditorem & Regni tui perturbatorem appellarent. Sed confido Deum aliquando inter me & illos

 disce-

disceptatorem futurum, apud quem para-tissimus sum illius meæ erga Maiestatem tuam fidei & obseruantiæ rationem red-dere: si iam voluntas ipsius ferat, vt ex hac vita migrem. Porrò quum à Rege Henrico parente vestro multis permagnis honori-bus affectus fuerim, quos Maiestas tua mi-hi confirmare dignata est, non possum pro mea fide & studio non suppliciter abs te petere ne præclaram rei bene gerendæ fa-cultatem tibi oblatam de manibus dimit-tas, præsertim quum res iam non sit inte-gra, ac tam multa tui in Belgicum negoti-um animi documenta & quasi pignora quę-dam extent: vt si res inchoata relinquatur, maximum Regno tuo periculum impende-at. Here, ànnon indignissimum est, ouum in tuo sanctiore consilio moueri non posse quin continuò antè ferè quàm conuersum sit, nuntius ad Albanum excurrat? ànnon indignissimum est, Ducem Albanum am-plius trecentos vel nobiles, vel egregios milites, prælio Genlisiano captos, vel stran-gulari, vel alio supplicij genere affici ius-sisse? quod tamen video hic in aula vestra pro ludibrio, ac planè pro iocandi ac ri-dendi materia haberi: Tertium, de quo cum tua Maiestate agere cupiebam, est Pa-cificatorij vestri Edicti contemptus. Nam

Magi-

Magiſtratus & Iuriſdictioni veſtræ præfe-
cti adeò illud aſpernantur, ac pro nihilo
ducunt, vt fidem abs te datam & iuratam
grauiſſimè violent: cuius fidei ac iuriſiu-
randi etiam exterarum nationum Princi-
pes teſtes ſunt. Hac de re frequenter ante
hac cùm Maieſtate tua egi: monuiq́ non
aliam eſſe certiorem pacis, otij, tranquilli-
tatiſque publicæ tuendæ facultatem, quàm
ſi Edicta veſtra Pacificatoria ſeuerè obſer-
uarentur. Qua de re tecum etiam, Regina
mater, egiſſe me non ignoras. Sed iſta vſ-
que eo contemnuntur, vt etiam Trecenſes
ciues nuper in vxoris principis Condæi
clientes impetum fecerint: quæ quum ex
Edicti veſtri formula villam nomine Inſu-
lam delegiſſet, in qua Religio noſtra cole-
retur, nuper tamen vir quidam & nutrix
& infans in itinere interfecti ſunt, quum ex
concione illo in loco habita domum re-
uerterentur. Huic Amirallij orationi Rex
his reſpondit verbis: Mi Amiralli, habeo
te, quemadmodum ſæpe iam ſum teſtatus,
pro viro forti & fideli, & meæ dignitatis
ſtudioſiſsimo, denique vnum te iudico ex
ſummis & fortiſsimis Regni mei Duci-
bus. Si aliam de te opinionem habuiſſem,
nequaquam ea quæ iam ante feci, facere
voluiſſem. Quantum ad Edictum meum

pacificatorium attinet, optaui semper, o-ptóque etiam nunc, illud quàm diligentissimè obseruari: ob eámque caussam misi delectos quosdam in singulas Regni mei prouincias, qui negotium illud curent. Regina mater mea huius mei mandati testis est. Tum Regina dixit, Ita est, mi Amiralli. Tu ipse scis vera ista esse. Verò: (respondit Amirallius) missi sunt delecti, sed ex eorum numero, qui me capitis & suspendij damnarunt: & pretium capiti meo quinquaginta aureorum millia imposuerunt. Tum Rex, Alij ergo (inquit) non suspecti mittendi erunt. Cæterum mi Amiralli, video te contentius loqui. Ea contentio tibi & tuis vulneribus obesse posset. Tibi plaga est imposita, mihi dolor. Verum ego, Dei mortem obtestans iuro, me hanc iniuriam ita seuerè vindicaturum, vt eius rei memoria nunquam ex animis hominum deleatur. Tum Amirallius. Here, inquit, non admodum procul facinoris auctor inuestigandus est. Ago tamen demisissimis verbis, habeóque Maiestati vestræ gratiam, quòd se mihi ius reddituram pollicetur. Hospita (in quit Rex) & puer cursor comprehensi, & in carcerem abducti sunt, iudicésque à me constituti, qui diligentiam in inquirendo abhibeant. Vbi hæc dicta sunt, Rex

glan-

glandem, qua percussus Amirallius fuerat, videre voluit, & eum qui ad ianuam stabat, sibi vt eam ostenderet in cubiculi angulum seduxit. Glans erat ærea. Tum ex eodem quæsiuit, primùm, multúsne sanguis ex vulnere effluxisset: deinde an Amirallius graues dolores sensisset. Respondit alter quæ viderat, & memoria tenebat. Tum Rex hominis constantiam & magnitudinem animi admirari sese dixit, eidémque imperauit, ne ab illo discederet. Rex in cubiculo circiter vnam horam cum alijs superius nominatis commoratus est. Animaduersum est autem, Regem ad ea quæ Admirallius de Belgico negotio dixerat, nihil prorsus respondisse. Atque hæc quidem de sermonibus inter Regem & Amirallium habitis, de quibus speramus, nobis, & cum aduersario nostro conuenire. Nam in ista petulanti & contumeliosa oratione, tamen ingenuè fassus est, Regem illis comitatum Principibus, Amirallium inuisisse, suam erga illum beneuolentiam testatum esse: rogasséque vt se in arcem (quæ domicilium ipsius erat) deportari pateretur. Quid benignius, amantius, honorificentius à Rege proficisci potuit in Amirallium, quàm eum ægrum inuisere, hospitióque humaniter inuitare? Videamus de-

inceps quæ perexiguo interiecto tempore acciderunt. Poſtero die Amirallius, eiuſque amici certiores facti, Pariſienſis, hoc eſt ſexaginta infeſtiſſimorum Amirallij hoſtium millia, tumultuari & arma capere: petierunt à Rege & ipſius fratre vt præſidium aliquot armatorum mitterent, qui ædes Amirallij tuerentur, vt ſiquid fortè plebs turbaret, Regalis illius præſidij auctoritate coerceri poſſet. Vterque prolixè liberaliterque reſpondit, negotiúmque Coſſenio legionis Regiæ præfecto dedit, vt aſcitis aliquot ſuis manipularibus pro foribus Amirallij in ſtatione ac præſidio maneret. Dicat nunc Criminator noſter, primùm ſi conſilium necandi Regis Amirallius cepiſſet, an ſe in Coſſenij fidem & poteſtatem commiſſurus fuiſſet? deinde ſi conſilium occupandæ arcis Luparæ ibiq; necandi Regis Amirallius iniiſſet, an oblatum à rege hoſpitium recuſaturus fuiſſet? an delatam ſibi facinoris admittendi facultatem repudiaturus? Si Guyſij in Regis oculis interficiendi conſilium ceperat, eamque ob cauſſam, vt iſte calumniatur, è lectulo virium experiendarum cauſſa ſurrexerat, cur tam idoneam oblatam rei gerendæ opportunitatem aſpernabatur? Iã verò ſiquid Amirallius peccarat, ſiquid ſupplicio dignum admiſerat,

nun-

nunquid ſatis tum captus & comprehenſus videbatur: ſiue ipſius vulnera, & deſperatam prope valetudinem ſpectemus, quæ illum in lectulo proſtrauerat, ſiue præſidium à Rege impoſitum, & præfectum Coſſenium? Vna tamen non intermiſſa nocte, ſigno campanis propè omnibus ſub lucem dato, concurſus armatorum fit & impetus in ædes Amirallij, duce (vt Aulici omnes fatentur) adoleſcente Guyſio: ante ambulone Coſſenio: qui primam in ędium aditu cædem facit: domeſticiſque Amirallij in veſtibulo trucidatis, in ipſius cubiculum cum Benueſio aliiſque ſicarijs conſcendit: eúmque gladio in pectus adacto confodit. Tum occiſi corpus è feneſtra deiicit: furentique multitudini laniandum præbet. Ibi cadauer, primum capite, tum deinde naribus, pudendis, auriculis, digitis mutilatum, per triduum (vt hiſtoria quoque Lugduni impreſſa teſtatur) vnco per lutulentas vrbis vias tractum, omnibus probris contumeliiſq; afficitur: ac tandem extra vrbem vectum in patibulo reſte ex pede vno ſuſpenditur. Ecqui clamores Tragici, ecquæ Philocteteæ lamentationes tantæ crudelitati exponendæ pares eſſe poterunt? Quem Rex, Regina, duo fratres Regij, tot Principes, tot proceres ac magnates pridie ho-

nore tanto affecerant, vt ad eum ægrum & vulneratum adirent, amantissimis verbis consolarentur, fortissimum Ducem, iustissimum virum, fidelissimum ciuem appellarent, hic postridie cruentatus & laniatus de patibulo reste suspenditur. Vbi pietas Galliæ? Vbi iustitia? Vbi fides publica? Vbi iurisiurandi Religio? Siquid Amirallius peccarat, annon satis captus vtroque brachio, satis Cossenij præsidio comprehensus, satis Lutetiæ vrbis mœnibus circumclusus erat? Cur igitur non reus iure gentium fiebat, non in iudicium adducebatur, non testibus conuincebatur, vt æquo iudicio damnatus, legitimo supplicio afficeretur? Iam verò vt Amirallium omittamus, quæ Turcia barbaria, quæ rabies, quę belluina feritas illa est, plebem cruentato clarissimi viri corpore, crudelitate tamen illa non satiari, sed tanquam sanguine illo ebriam atque insanam per omnes vrbis vicos plateasque bacchari, impetúmque in singulas Religiosorum ædes facere? non viris, non mulieribus, non morbo, non ætate affectis non pueris, non denique infantibus parcere: cruentata corpora per fenestras abijcere: eadem luto cœnóque oblita in flumen eijcere: ędes amplius quadringentas, quasi vrbe impetu hostili capta, diripe-

ripere: rapinis & latrocinijs omnia reple-re: idem aliquot consequentibus diebus pas-sim tota Gallia singulis propè in oppidis fieri: Quid est Conuiciator? Quid tu, hac de re interrogatus apud iustissimos & fortis-simos viros, Heluetiæ gentis magistratus, responderes? ecquem defensionis exitum reperires? Si triginta hominum millia iu-stè interfecta sunt, si centum familiarum ho-nestarum millia iustè oppressa sunt, quid tu causam aliquam non profers? si iniustè op-pressi sunt, cur non vindicantur? Cur ad-huc vna toto Galliæ regno quæstio decre-ta non est? Tu nobis fœdera, societates, a-micitias nescio quas polliceris. Quæ maio-ra vnquam in hominem vllum amicitiæ ac necessitudinis signa, testimonia, documen-ta, pignora denique extiterunt: quàm quæ nuper vniuersus Orbis in Regem Nauar-rum, Condæum, & Amirallium animaduer-tit? Tu fœderum mentionem facere audes? Per quem tandem deum fœdera ista socie-tatésque iurabuntur? per eúmne quem tot per-iurijs violastis? quorum & proceres Helue-tij & Principes Germani, omnes denique nationes exteræ testes fuerunt, quæ genti Gallicæ maculam sempiternam inusserunt: quæ seculorum omnium posteritas execra-bitur. Non est (ô sycophantæ & veterato-

res

res conuicatoris iſtius ſimilas) non eſt, in quam, in genere mortis & cruciatu carnifi- cium poſita ignominia: in cauſa mortis, non in ipſa morte infamia eſt. Mors bonis viris ærumnarum eſt requies: beatæque & immortalis vitæ initium. Cruentatus eſt Amirallius: cruentati etiam alij martyres Chriſti innumerabiles. Non ſunt (vt quidam ſapienter dixit) grauiora interdum carnificum tormenta, quàm cruciamenta morborum. Cruciati fuerunt Prophetæ, cruciatus Chriſtus & cruci, ac patibulo ſuffixus. Qua morte nulla tum ignominioſior excogitari potuit: ſiquidem non in cauſa mortis, ſed in ipſa morte contumelia ineſſet: ſed veriſſimum vetus illud verbum eſt: Mors turpis forti viro accidere non poteſt, neque vel miſera, vel immatura Dei miſericordiæ confidenti. Pretioſa enim (vt ſcriptura loquitur) in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.

FINIS.